

22. *Die 17. Mart. S. Patricii.* Cum hoc festum elevatum fuerit ad ritum duplicis, cessat rubrica: „Tertia oratio: *A cunctis.*“

23. *Die 19. Mart. S. Josephi.* Post Graduale legendum est: „Tempore Paschali“ loco: „Post Pascha.“

24. *Die 25. Mart.* In missa Annuntiationis B. M. V. ad finem ponatur rubrica: „Si festum Annuntiationis B. M. V. venerit in aliqua Dominica privilegiata ante hebdomadam majorem, transferendum erit in feriam secundam immediate sequentem, quocumque festo aequalis non autem altioris ritus in eam incidente. Si autem venerit in hebdomada majori vel Paschalis, transferendum erit pari cum privilegio in feriam secundam post Dominicam in Albis, servato ritu Paschali.“

25. *In missa de 7 dolor.* ad finem ponatur rubrica: „Quando festum septem Dolorum B. M. V. celebrari nequeat hac feria, transferendum est in sabbatum immediate sequens, quocumque festo aequalis non autem altioris ritus in eo occurrente. Quod si nec in sequenti Sabbato celebrari possit, omittatur.“

In missa, quae legenda est juxta vetus formulare, non juxta illud, quod in recentioribus Missalibus positum est in feria VI. post dom. *Judica*, legendum est *Graduale*: Dolorosa et lacrymabilis es Virgo Maria, stans juxta Crucem Domini Jesu, filii tui redemptoris.

Ÿ. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, hoc Crucis fert supplicium auctor vitae factus homo.

Tractus: Stabat Sancta Maria, coeli Regina et mundi Domina, juxta crucem Domini Nostri Jesu Christi dolorosa.

Ÿ. *Threni 1.* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

In missis votivis per annum Graduale: Dolorosa etc. ut supra; Ÿ. Virgo etc. Alleluja, Alleluja. Ÿ. Stabat sancta M. . . dolorosa, Alleluja.

Tempore paschali. Verbum: „*Jo. 19.*“ delendum est.

Oratio pro Missa votiva immediate post illam de festo inserenda est.

26. *Die 11. Apr.* S. Leonis Papae et Doctor s. Graduale sumitur ex Comuni Doctorum, et post verba „gressus ejus“ *Tractus* etc. ex eodem comuni inserendus est, quia hoc festum tam in Quadrage. quam in temp. pasch. incidere potest.

27. *Die 13. Apr.* Rubrica posita in fine missae s. Hermenegildi m. ita mutanda est: „Si autem celebretur extra tempus paschale, Missa dicitur“ etc. Verba „tempore vero Quadragesimae“ etc. delenda sunt.

28. *Die 24. Apr.* In missa S. Fidelis a Sigm. Secreta et Postcom. ex missa: „In virtute“ sumenda est.

29. *Patrocinium S. Josephi* in dom. III. p. Pascha. Haec missa in fine mensis Apr. ponenda est. Post evang. ponatur rubrica: „Dicitur Credo, ratione Dominicae.“ Ad finem ponenda erit alia rubrica: Si festum Patrocinii S. Josephi transferendum sit post Pentecosten, dicitur eadem Missa, detractis tantummodo Alleluja ab Introitu, Offertorio et Communione ac substituto sequenti Graduali: „Ps 20. Domine praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Ÿ. Vitam petiit a te et tribuisti ei; posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Alleluja, Alleluja. Ÿ. Fac nos innocuam, Joseph, decurrere vitam, sitque tuo semper protecta patrocinio. Alleluja.“

30. *Die 3. Maii.* Invent. s. Crucis. Rubrica in fine posita ita mutanda est: „Si festum Inventionis transferri contigerit post Pentecosten dicitur eadem Missa, sed Introitus et Communionem

sine Alleluja, ut in Missa Exaltationis die XIV. Septembris.

31. *Die 30. Maii.* S. Felicis Papae M. Rubrica hujus missae erit: „Tempore Paschali Missa *Protexisti.* Extra hoc tempus Missa *Statuit* de Comuni unius Martyris Pontificis.

32. *Die 1. Julii.* Octava S. Joannis B. Nonnulli citant in hac missa commemorationem SS. Apostolorum legendam uti in missa de Visitatione B. V.; sed cum hoc festum B. V. ad ritum dupl. 2. cl. elevatum sit et consequenter sine commemoratione, ad diem 3. Julii indicandum est.

33. *Die 18. Julii.* S. Camilli de Lellis. Verbum: „ejusdem“ in fine orationis delendum est.

34. *Die 24. Julii.* Vigilia S. Jacobi. Ubi missa de vigil. non est posita in proprio loco, verba: „de Vigilia Ap.“ mutanda sunt in: „ut in Vigilia unius Apostoli.“ Item de vigilia s. Bartholomaei.

35. *Die 26. Julii.* S. Annae. Conclusio Secretae est: „Per eundem“; non: „Qui tecum.“

36. *Die 15. Aug.* Assumptio B. M. V. Loco rubricae in fine posita: „Dicitur Missa ut in die festi“ legendum est: „fit idem officium, quod in die festi.“

37. *Die 20. Aug.* S. Bernardi Abb. Titulus est: „Abbatis et Ecclesiae Doctoris.“

38. *Die 21. Aug.* S. Joannae Franciscanae de Chantal. Post evang. legendum est: „Credo ratione Octavae.“ In Postcomm. delendum est verbum: „ejusdem.“

39. *Die 2. Sept.* S. Stephani reg. Hungariae. Secreta concludenda est verbis: *Per eundem.*

40. *Die 11. Sept.* Commemor. SS. Proti et Hyacinthi MM. Ad Rubricam: „Tertia oratio de Sp. S.“ addendum est: „nisi venerit in Dominica, tunc enim

tertia oratio erit de SS. Proto et Hyacintho.“

41. *Missae 7 dolor. B. V. M. mense Sept.* ponenda est post octavam Nativ. B. V. M. cum his additionibus: Dominica III. Sept. In festo 7 dolor. B. V. M. missa dicatur ut in alio festo 7 dolorum posito sub mense Martii . . . praeter orationem sequentem et post Sequentiam additur Alleluja, quod omittendum erit in fine Gradualis.

Oratio etc.

Et fit commemoratio Dominicae. In fine legitur evangelium Dominicae occurrentis.

„Si in Dominica III. Septembris occurrat aliud festum sive B. M. Virginis sive altioris ritus vel dies Octava festi, quod alicubi solenne fit: festum septem dolorum amandatur ad Dominicam IV. Septembris et haec etiam ut supra impedita, ad proximiorum Dominicam a praedictis festis liberam. Quod si usque ad Adventum nulla supersit Dominica libera, festum septem dolorum ponatur juxta rubricas in prima die non impedita post Dominicam III. Septembris.“

42. *Die 22. Sept.* Rubrica posita in fine missae s. Thomae de Villan. delenda est.

43. *Die 27. Oct.* Vigilia SS. Ap. Simon. et Judae. In Secreta legatur: „Grata reddantur.“

44. *Die 4. Nov.* S. Caroli Borrom. Post evang. addendum est: „Credo ratione Octavae Sanctorum.“

45. *Die 11. Nov.* S. Martini. Rubrica post Secretam posita delenda est.

E. Commune Sanctorum.

46. *Missae vultum tuum**) pro Virgine tantum. *Tractus* his verbis incipit: „Quia concupivit“; ideo delenda sunt verba praecedentia: Audi filia etc.

*) Vd.: *Missae*: Vultum tuum.

n. 15 ad 10 et 17, 19 die 16. Mart. 1591; n. 28 die 1. Sept. 1592.

In quantum potest Episcopus aliquid de Missali statuere? Vd.: Episcopus.

Nihil omnino mutandum, adimendum vel addendum per quosunque Clericos vel Presbyteros saeculares, vel per fratres Monachos aut cujusvis Ordinis regularis ex his, quae in Missali ordinario *tam in Rubricis quam in Nigro* praescribuntur *et multo minus in Canone*. Qui secus fecerint, temeritatis notam incurrere et animadversione dignos esse. n. 283 die 12. Nov. 1605.

A Regularibus, qui utuntur Missali romano, nihil addi, minui vel immutari posse, sed omnia in eodem Missali et Caeremoniali praescripta ad unguem servanda esse. n. 1627 ad 2 die 19. Aug. 1651.

7) Osculatio.

Vd.: *Evangelium* (Osculatio); *Oscul. Missalis*.

8) Quis tenet infra incensationem altaris?

Vd.: *Assistens Episcop.*

9) Quod?

Vd.: *Missa concord. cum Officio; Missa in Ecclesia aliena etc.; Breviar. rom.* (decr. de die 15. Mart. 1608.)

Ad dubium: an concessa facultate Confessariis et Capellanis Ecclesiarum Monialium Ord. Eremitarum s. Aug. servitio addictis celebrandi missas Sanctorum, de quibus Moniales praedictae Officia recitant, dummodo utantur missali rom., possint Confessarii et Capellani praedicti uti etiam Missalibus, quibus utuntur *Religiosi* ditorum Ordinum ex eo quia conveniunt admissim cum ritu missalis romani? S. C. resp.: *Negative*. n. 3383 die 24. Mart. 1696.

Licere in posterum tum Confessarium tum Capellanis tantum quarumcunque Monialium servitio addictis missas Sanctorum, de quibus ipsae recitant, celebrare sed cum missali romano et de communi, non vero missas proprias eorundem Sanctorum variis Ordinibus concessas. n. 3904 die 1. Dec. 1717; n. 4348 ad 2 die 15. Julii 1769.

Facultas celebrandi cum missali romano concessa pro Capellanis Monialium intelligi debet pro omnibus et singulis, qui ex debito tenentur celebrare in Ecclesia ipsarum Monialium, dummodo celebrent cum Missali romano. n. 3617 ad 3 die 11. Febr. 1702.

Capellani servitio Ecclesiae Monialium addicti debent celebrare missam de Sancto, de quo Moniales recitant Officium, juxta proprium Calendarium, licet sit inferioris ritus Sancti, de quo Capellanus privatim ad tenorem Calendarii Dioecesanii Officium recitat, dummodo utantur missali romano. n. 3622 ad 2 die 18. Mart. 1702.

Ex parte Monialium Ordinis S. Augustini Civitatis Florentiae S. R. C. demisse supplicatum fuit declarare:

An Capellani seu Confessarii earundem Monialium, quibus a S. R. C. indulta est facultas celebrandi Missas Sanctorum, de quibus ipsae Moniales recitant Officia, dummodo tamen utantur Missali Romano, licite celebrare possint Missas proprias Sanctorum Ordinis S. Augustini superadditas a Typographis Missali Romano et quae in eodem reperiuntur impressae absque licentia S. R. C.?

Eadem S. R. C. censuit respondendum:

„*Negative*.“ Et ita declaravit. n. 3765 die 2. Aprilis 1707.

Ad dubium: Quando Festum Purificationis B. M. V. occurrit in Dominica Septuagesimae vel Sexagesimae, apud Dominicanos non transfertur, ex quo

accidit, ut Moniales S. Dominici jurisdictioni Ordinarii subjectae et Breviario sui Ordinis utentes de praefato Festo in Choro recitent, Missamque officiantes cantaturae ex statuto, consuetudine vel devotione antiqua illam de B. Virginis Purificatione absolvere debeant. Quaeritur ergo: An Capellani saeculares ipsarum Officium de Dominica persolventes, juxta Rubricas Breviarii Romani, quo utuntur, se conformare debeant quoad Missam in his vel similibus circumstantiis cum Officio Monialium, illam celebrando de praedicto Festo B. M. V., ut Officium Chori omnino expleatur?

Et: An idem dicendum sit in his omnibus casibus, in quibus Moniales Missam proprio Officio convenientem in Choro ex statuto, consuetudine vel antiqua devotione cantent, salvis remanentibus tantum quoad reliquos casus decretis hujus S. C., in quibus hujusmodi conformitas in facultate et arbitrio Capellanorum relinquitur?

S. eadem C. rescripsit, ut infra, videlicet:

„Serventur S. C. Decreta et Capellanos saeculares, qui celebrare debent in Ecclesiis Monialium, quoad Missam solemnem teneri, dummodo celebrent cum Missali Romano.“ Et ita declaravit et servari mandavit. n. 4501 ad 12 et 13 die 20. Sept. 1806.

Cum in Asceterio Monialium Ordinis S. Francisci adnexo Ecclesiae titulo S. Maria nuncupat. delle Vergini dette della Madonna, Civitatis Veronae commorentur hodie Moniales Monasterii SSmi Redemptoris ex Ordine Canoniorum Regularium Lateranensium S. Augustini, separatae tamen in omnibus a praedictis Monialibus Ordinis S. Francisci, excepta Ecclesia, quae est communis, ita ut ab utrisque Monialibus servetur propria regula et recitetur Officium juxta proprium Calendarium; visum est Monialibus La-

teranensibus, quod ab earum Capellano quotidie celebranda sit ea Missa, ad quam audiendam ipsae conveniunt, quae conformis sit Officio in earum Calendario assignato; quod cum denegetur a Monialibus S. Francisci, in hujusmodi opinionum discrepantia ad firmandum, quid fieri opus sit, Moniales Lateranenses recursum habuerunt ad S. R. Congregationem.

S. eadem C., audita prius sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris scripto exarata, typisque tradita, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Erskine Ponentis, rescribendum censuit: „Posse Capellanum Monialium Lateranensium SSmi Redemptoris in casu, de quo agitur, Missas legere secundum ordinem earundem Monialium, exceptis diebus Dedicationis et Titularis Ecclesiae.“ Et ita declaravit die 20. Martii 1809 n. 4511.

Ad dubium: 1. an in Ecclesiis, ubi morantur, absque tamen Religionis habitu, Alumni Ordinis Eremitarum discal., teneantur omnes uti missali Ord. juxta concessionem de anno 1777?

2. An Sacerdotes exteri adigi possint uti praedicto missali, etiam si color Ecclesiae respondeat Officio ab ipsis persolvendo? S. C. resp.: *Negative ad utrumque*. n. 4823 die 23. Sept. 1837.

10) Quot?

In missa sol. permitti non possunt duo missalia, unum in cornu Epistolae, aliud in cornu Evangelii. n. 4526 ad 13 die 7. Sept. 1816.

MISERERE etc. IN S. TRIDUO.

Miserere mei Deus etc. in Matut. tenebrarum modulata sed flebili voce canitur. *Caer. Ep.* l. II. c. XXII. n. 13.

S. R. C. 7. Sept. 1716 et 11. Sept. 1841.

47. *Commune Dedicacionis*. Rubrica: „Praedictae orationes debent sumi, quotiescunque occurrerint plures commemorationes de anniversario dedicacionis ecclesiae“, juxta rubricas generales in initio missalis ponenda est.

F. Missae votivae.

48. *Pro sponso et sponsa*. Rubrica in initio posita ita determinanda est: „Si benedictio nuptiarum facienda sit die Dominica vel alio die festo sive de praecepto sive duplici 1. vel 2. cl., dicatur Missa de Dominica vel festo cum Gl. et Cr., si illa Missa id requirit, et cum commemoratione sequentis Missae pro sponso et sponsa et reliquis, quae pro communione et complemento benedictionis in ea habentur. Si autem benedictio nuptiarum facienda sit aliis diebus, etiamsi in iis occurrat festum duplex majus vel minus, dicitur sequens missa voliva.

49. *Orat. pro diversis n. 7. Pro Praelatis*. Verbum: „ejusdem“ in fine orationis delendum est. Idem faciendum est.

50. *Ibid. n. 9. Pro concordia in Postcommun.*

51. *Orat. in collatione s. Ordinum*. Postcommunio claudatur verbis: Qui vivis etc., non vero: per Dominum etc.

4) Episcopus eo utitur.

Vd.: *Minister de libro Episcopi* (oblig.); *Evangelium*; *Episcopus assist.*; *Osculum pacis*.

5) Idioma.

Alexander PP. VII.

Ad aures nostras cum animi nostri moerore pervenit, quod in regno Galliae quidam ad eam vesoniam pervenerint, ut missale rom. ad gallicam vulgarem linguam convertere sicque conversum

typis evulgare ausi fuerint. Nos istam novitatem perpetui Ecclesiae decoris deformatricem, inobedientiae, temeritatis, audaciae, seditiosis, schismatis productricem abhorremus et detestamur.

Ita missale praedictum gallico idiomate a quocunque conscriptum vel in posterum alias quomodolibet conscribendum et evulgandum perpetuo damnamus, reprobamus et interdicimus ac pro damnato, reprobato et interdicto haberi volumus ejusque impressionem, lectionem et retentionem universis et singulis utriusque sexus Christifidelibus cujuscunque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris et praeminentiae, licet de illis specialis et individua mentio habenda foret, existant, sub poena excommunicationis latae sententiae ipso jure incurrendae perpetuo prohibemus.

Mandantes, quod statim, quocumque illud habuerint vel in futurum quocumque habebunt, realiter et cum effectu exhibeant et tradant locorum Ordinariis vel Inquisitoribus, qui nulla interposita mora exemplaria comburant.

Romae ap. s. Mariam Major. die 12. Jan. 1661.

Pius PP. VI.

Suprema potestas proscribendi ritus et ordinem ab universo clero servandum in publicis praecibus Deo offerendis et laudibus ac gratiarum actionibus statutis horis quotidie persolvendis, ex vetustissima universalis Ecclesiae consuetudine, sacrorum canonum ac sacrosancti Concilii Tridentini auctoritate confirmata, Romano semper pontifici atque huic apostolicae Sedi delata est: nimirum ea ratione, ut uno pontifice rem totam moderante, universae christiani orbis ecclesiae, quae in fidei unitate cum Romana conjunctae essent, eadem externi cultus divini lege devinctae etiam in hoc

congruerent, unique redderetur formae atque concordiae concentu et una quasi voce, unoque spiritu laudarent Dominum.

Cum itaque, sicut accepimus, breviarium, ritu quidem Romano sed idiomate Slavonico et caractere sancti Hieronymi vulgo nuncupato conscriptum, olim a felicis recordationis Joanne PP. VIII. praedecessore Nostro concessum et ab anno 1648, Innocentii PP. X. item praedecessoris Nostri jussu reformatum et typis editum ac postea anno scilicet 1680 iterum recusum jamdiu desideraretur, utpote a centum et ultra annis nunquam amplius typis mandatum fuerit, atque inde acciderit, ut nonnulli ex natione Illyrica, qui ad horarum canonicarum recitationem tenentur, breviarii inopia laborantes, muneris debito, non sine gravi animi moerore et sollicitudine satis facere minime possint,

Nos praedecessorum nostrorum sancti Pii V., Clementis VIII. et Urbani etiam VIII., qui breviario Romano reformando, recognoscendo et approbando sedulam navarunt operam, vestigiis insistentes, commodo et conscientiae securitati ejusdem nationis Illyricae, quae late diffusa est et turcas inter et schismaticos posita catholicam semper fidem servavit ac strenue propugnavit, quantum cum Domino possumus benigne consulere volentes, de VV. FFr. N. S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, accitis ad hoc ex illa gente viris tam linguam apprime callentibus ac sacris literis, non minus quam pietate instructis, postquam breviarium Slavonicum praedictum mandavimus diligenter ab ipsis recenseri, nec non recentiora officia sanctorum, quos hucusque haec sancta Sedes publico donavit cultu, in idem Slavonicum idioma sedulo converti, illique inseri et superaddi et servari idiomate Slavo literali

in omnibus juxta praescripta per felicis recordationis Benedicti PP. XIV. praedecessoris Nostri incipientes — *Ex pastoralis* XVIII. Cal. Septembris anno XIV. expeditas literas, quod revera benedicente Domino perfectum omnino est, motu proprio et certa scientia et matura deliberatione Nostra deque apostolicae Sedis potestate dictum breviarium Slavonicum sic recensitum, emendatum et auctum cum adjunctis Sanctorum officii recitandis pro aliquibus locis ex indulto Nostro separatim impressis, tenore praesentium confirmamus et approbamus et typis Congregationis Propagandae Fidei praedictae committi jubemus.

Caeterum ejusdem Innocentii praedecessoris Nostri exempla secuti, ut breviarium novum hujusmodi ubique inviolatum et incorruptum habeatur, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo, nisi a Nobis et pro tempore existente Romano pontifice, praeterquam in mortis articulo constitutus absolvi valeat, poena prohibemus, ne dictum Breviarium cum adjunctis superadditis officii Sanctorum pro aliquibus locis separatim impressis, alibi in toto orbe sine Nostra vel speciali Sedis apostolicae licentia in scriptis obtinenda imprimatur vel impressum proponatur.

Datum Romae die 11. Mart. 1791. (Bull. r. Continuatio t. IX. p. 5.)

Vd.: *Lytan. diversae* (decr. S. C. Indicis 23. Apr. 1860.).

6) Mutatio.

Vd.: *Missa de Sancto*; *Consuetudo*; *Ritus*; *Missale* (approb.); *Missale* (correctio.).

Consuetudines, quae sunt contra Missale, sublatae sunt per Bullam Pii V. et dicendae sunt potius corruptelae quam consuetudines, neque illis possunt se tueri Canonici, quominus cogi valeant ad observantiam Rubricarum et Regularum Missalis per Episcopum.